

et Zelandie constitutis dilectis fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Cum ad preces et ad instantiam illustrium virorum Iohannis et Ottonis marchionum Brandenburgensium dilectorum principum et affinium nostrorum omnibus et singulis eorum hominibus de marchia Brandenburgensi de speciali gratia duxerimus concedendum, ut quotienscumque ipsos vel ipsorum aliquem cum quibuscumque bonis per comitatum Hollandie et Zelandie et eius districtum transire contigerit, nullum thelonium sive pedagium solvant, nisi pro ea portione, qua cives Lubicenses ibidem solvunt, prout eis alias duximus concedendum, fidelitati vestre districte praecipimus, quatinus nullus sit, qui eosdem homines contra hanc nostram concessionem impedire audeat vel etiam molestare, sed eos super hiis libertate, qua praedicti cives Lubicenses gaudent, permittatis gaudere. Datum Brunswich, VI. kal. aprilis indictione X. anno domini M^oCC^oL^o secundo.
